



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Quidnam, & quotuplex cessatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

528 *Moralis Theologia Tract. IV. Censura,*

§22.

61. *Si contemptus ad sit, est ne mortalis interditti violatio?*
Afferit *Saa* quosdam negare esse mortalem culpam defici-
te contemptu, & scandalo. Quoad laicos commune à Docto-
ribus id censetur, quoad Clericos autem mortale crimen
affirmo, quando ut Clerici violent.



E X A M E N V.

Circa materiam de Pœna Cessationis à Diuinis
Depositionis, ac Degradationis.

C A P U T P R I M U M.

Quidnam, & quotuplex cessatio à Diuinis.

1. *Vid est à Diuinis cessatio?* Simplex prohibitiō
Diuinorum in aliquo loco, imposta in signum
afflictionis Ecclesiae, & ut generale quoddam
ipsius grauamen.

2. *Quotuplex illa?* Duplex, vna generalis, qua prohibentur
diuina in loco vniuersali, v.g. Regno, ciuitate; altera particu-
laris, qua in loco particulari, v.g. in vna Ecclesia prohibentur.

3. *Est ne censura?* Minime; sed per modum simplicis pro-
hibitionis fertur, & comminatoriè tantum.

4. *Causam huiusce pœnae efficiētē assigna.* Papa, Episco-
pus, & Capitulum Sede vacante possunt imponere cessationem;
nam cessatione pertinet ad forum contentiosum, cui prae-
est Papa, & Episcopus. Concilium item Prouinciale, & Dia-
cesanum potest cessationem imponere.

5. *Formam imponendi cessationem assigna.* Hæc esse potest.
Nos ob talem causam ciuitatem, vel Ecclesiam à Diuinis officiis
principimus abstinere.

6. *Quenam conditiones in ferenda cessatione afferuande?*
1. Delictum sit manifestum, & notorium. 2. Adinoneatur is,
ob cuius culpam ferenda est cessatione. 3. Pareat, & satisfaciat;
nisi ferens cessationem, & ille contra quem fertur, intra mon-
sem se componant, & adeant Pontificem summum per se vel
Procuratorem. Porro qui cessationem tulit, potest transacto
mense, postquam iter ad summum Praesulem suscipit, tollere
cessationem.

7. *Causam*

7. *Causam exhibe cessationis materialem.* Proxima quidem, ob quam cessatio imponitur, est delictum, & culpa manifesta, qua gravis valde debet esse, & grauior eâ, ob quam ponitur interdictum.

8. *Finis quinam?* Remotus finis cessationis est resipiscencia, & emendatio illius, cuius causa lata est cessatio.

C A P V T I I .

De cessationis effectibus.

9. *Vinam sint effectus cessationis? An officia eo tempore recitari possint?* Tempore cessationis tam generalis, quam particularis à diuinis officiis publicè recitandis, ut ab Horis Canonicis abstinetur. Item à Missa publicè celebranda, etiam si moderatio seruetur.

10. *Num Sacra menta conferri valeant?* Sacramentum ordinis cessationis tempore, aut Extremæ-vnctionis nec laicos, nec Clericis conferuntur. Porro alia Sacra menta, præcipue Baptismus, conferenda sunt, ob illorum necessitatem. *Quid de Matrimonio?* Licitum non videtur illud contrahere, nisi in articulo mortis ad legitimationem prolis, aut ad fœmina alicuius nobilis decus necessarium esset, dum non facile dispensatio esset acquirendâ.

11. *Quidnam de sacra sepultura?* Cessatio priuat laicos sepulturâ sacrâ saltem quoad diuina officia, etiam quo ad eos, qui habent sepulturâ priuilegium tempore interdicti.

12. *Quàm gravis est cessationis violatio?* Violans eam gravioriter peccat, & irregularitatem, vel excommunicationem incurrit. *Tenetur ne ad aliquam satisfactionem sis, cuius causa cessatio lata est?* Tenetur quidem ad sarcienda omnia damna Clericis, qui seruare cessationem coacti sunt, & distributiones amiserunt, vel alia damna subiere.

C A P V T I I I .

De Pœna Depositionis, & Degradationis.

13. *Vid est Depositio?* Propriè accepta pœna quædam est Ecclesiastica, qua Clericus munere Clericali priuatur,

L I tur,